



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi  
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

12 Iuramenta sub pluribus, & diversis formis praestantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

cap. quanto, de jure iur. & gloss. in cap. dilecti, in ver. juramenti. de major. & obed.

<sup>12</sup> Dividuntur & juramenta in multas, & varia formae, de quibus per Felyn. in eod. cap. dilecti. numer. I. & præstatur juramentum, quandoque à supremis Principibus, illud enim præstat futurus Imperator sub formæ sequenti. <sup>13</sup> Ego Romanorum Rex, annuente Domino futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque juro, coram Deo, & beato Petro, me de cætero protectorem, & defensorem fore summi Pontificis, & hujus S. R. E in omnibus necessitatibus, & utilitatibus suis, custodiendo, & conservando promissiones, honores, & jura ejus, quantum divino suffultus adiutorio fuero, secundum leire, & posse meum, recta, & pura fide, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia, ut in clem. uni post med. ver. Ego N. de jurejur.

<sup>14</sup> Præstatur & juramentum à Rege forma sequenti, Ego N. Deo annuente futurus Rex N. profiteor, & promitto coram Deo, & Angelis ejus deinceps legem, iustitiam, & pacem, Ecclesiæ Dei, populo, que mihi subiecto, pro posse, & nosse facere, ac servare, salvo condigno misericordia Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero invenire, Pontificibus quoque Ecclesiarum Dei, con dignum, & Canonicum honorem exhibete, atque ea, quæ ab Imperatoribus, & Regibus ecclesiis collata, & redditæ sunt, inviolabiliter obseruare, Abbatibus, comitibus, & vasallis meis, congruum honorem secundum consilium fidelium meorum præstare, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia, in pontificali

Romano Clemente. VIII. jussu editio  
fol. 128.

Ab Episcopis & autem præstatur in forma sequenti. Ego N. electus ecclesiæ N. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Apostolo, Sanctæque Romanae Ecclesiæ & D.N.D.N. Papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut mem brum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet inge rantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quo vis quæsto colore, consilium verò, quod mihi credituri sunt per se, aut Nuncios suos, seu litteras ad eorum dānam me sciente, nemini pandam, Papatum Romanum, & regalia Sancti Petri, adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, & rediendo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo, juro, honores, privilegia, & auctoritatem Sanctæ Romanae Ecclesiæ Domini nostri Papæ, & successorum prædictorum conservare, defendere, augere, & promovere curabo, neque ero in consilio vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudiciale personarum juris, honoris, status, & potestatis eorum machinentur, & si talia à quibuscumque tractari, vel procurari novero, impediām hoc pro posse, & quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire, regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sive dispositiones, reservations, provisiores, & mandata Apostolica,